

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1254 - 1255

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

384. *Der Cardinallegat Hugo sagt den Franciskanerinnen zu Straßburg den Genuß aller Ordensprivilegien unbeachtet jedes Wohnungswechsels zu, falls sie nur an ihrer Regel festhalten. 1254 December 24 Neapel.*

Frater Hugo miseratione divina tituli sancte Sabine presbiter cardinalis dilectis  
 5 in Christo abbatisse et conventui pauperum inclusarum monasterii de sancto Francisco civitatis Argentinensis ordinis sancti Damiani salutem in domino sempiternam. auctoritate domini pape specialiter in hac parte nobis viva voce  
 comissa vobis concedimus, ut, illam dumtaxat formam vite in vestro monasterio, quo divino estis obsequio mancipate, teneamini observare, quam felicitis recordationis  
 10 dominus Innocentius papa quartus vobis tradidit observandam, statuentes, ut sancti Damiani ordini privilegiis concessis et concedendis, quocumque vos etiam transferatis per loci mutationem, plenarie gaudeatis vos et monasterium vestrum pretacto ordini uniendo. in cujus rei testimonium has litteras nostro sigillo fecimus consignari. datum Neapoli anno domini 1254, 9 kalendas januarii, pontificatus domini  
 15 Alexandri pape quarti anno primo.

*Aus Sbaralea Bullar. Francisc. II, 8 nr. 9, inserirt einer Bestätigung Pabst Alexanders IV, 1255 Januar 18 Neapel. Darnach auch bei Wadding Annal. Minor. III, 524 nr. 4. — Potthast Reg. pontif. nr. 15640.*

385. *Pabst Alexander IV gestattet den Franciskanerinnen zu Straßburg, wegen der harten Kälte ihrer Heimath Pelze zu tragen. 1255 Februar 4 Neapel.*

Alexander episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus abbatisse et conventui monasterii sancti Francisci pauperum inclusarum in Argentina ordinis sancti Damiani salutem et apostolicam benedictionem. divine affluentiam bonitatis habendo pre oculis, que nobis licet immerito curam commisit generalis ecclesie,  
 25 saluti omnium libenter intendimus precipue eorum, qui divinis laudibus frequenter invigilant et pie vite studio sine intermissione desudant. exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod, licet in desiderio vestro continuum per afflictionem carnis assiduam mereri premia beatorum, tamen fragilitas vestra non sufficit, ut intensionem frigoris vestrarum partium sine incursu discriminis sustinere possitis,  
 30 presertim ille ex vobis, que in diebus suis processisse noscuntur. quia vero decens et dignum esse dignoscitur, quod providentia sedis apostolice suffragante a vobis jugum dominicum suavitate feratur, nos vestris supplicationibus annuentes auctoritate vobis presentium indulgemus, ut, vestri ordinis statuto vel consuetudine contraria non obstante, uti pellibus libere valeatis. nulli ergo omnino hominum  
 35 liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Neapoli 2 nonas februarii, pontificatus nostri anno primo.

*Aus Sbaralea Bullar. Francisc. II, 15 nr. 19 nach den Registern Alexanders IV im Vatican. A. Darnach auch bei Wadding Annal. Minor. III, 526 nr. 7. — Potthast Reg. pontif. nr. 15671.*